

Letter 588: 8 January 153[6, Strasbourg], Capito to Ambrosius Blaurer

The autograph original of this letter is in St Gallen KB, Ms. 32/280. It is partially printed in Schiess 1:776–7, Ep. 673.

Gratiam et pacem. Iam redduntur literae a te Bucero. Ach, frater, quam ex animo meo quereris de horum temporum malitia. Video plane, quorsum vergant cupiditates et studia studiosorum, quorum Christus unum esse studium deberet. D. Paulus scribit de se nihil ausurum nisi te autore; nam admonuimus graviter, ne quid temere de coniungio statueret. Tedium huius vitae huc proficiet, ut magis magisque incumbamus commisso muneri. Christus apud quosdam augetur nostro ministerio, mali deteriores reddentur.

Cum Lutheranis summa mihi causa expetendae concordiae, quod illo nomine optimi contineantur, qui morbo quodam fatali contra nos laborarunt, quorum tentationi nostra consulendum patientia; deinde fieri potest, quod rixosiores quidam ex nostris illis forte dederint non parvam occasionem. Utrobique comperi, qui suae nimium fiderent prudentiae.

Constantiensibus nostris nullus de nobis scrupus supererit, dum nos causam concordiae agentes audire sustinuerint. Neque dubito quin sustinebunt literis ad se scriptis pro sua libertate satis vehementer. Bucerus respondet, etsi submonere periculi. Nam scio Satanam id moliri, ut dissidia vel certe suspiciones excitet. Equidem sane mallem dissimulare, sed quid huius incideret, quod citra contumeliam Christi transiri posset; Verum ille noster, “Scio,” inquit, “quibus scribo, et quam sit Deo captum.” Non vult ullo pacto admittere in mentem, fieri posse, ut serio in se exandescant, sic dediti Deo, sibi tam synceriter conanti. Quare, mi Ambrosi frater in Domino, me clam submoneas, si quid inconsulta libertas optimam illam ecclesiam offenderit. Dabit opera, ut pulchre vulnus per nos datum sanemus. Non possum ullo pacto dubitare, quin coniunctissimi hactenus a colloquio simus coniunctiores discessuri. Nam summum est, quod conventum inter nos necessarium accelerandum vellemus. De titulis posthac nihil; animo mecum te venerabor tacitus, per epistolas agam, ut cum aequali ac symmista, etsi sciam quo tu in loco Domino, quo ego sim, qui mihi fortiter insistendo parum respondeam muneri meo, vel huic meo privato.

De Spanhemensi historia, ubi adquisieris meo sumptu vaso inclusam mittas. Hic rector huc redibit aut committe bibliopolae Tubingae. Pudet me mei, qui te iis nugis distraho a veris tuis negociis, quae pro Christo obis. De Hiltbrando et aliis rebus Bucerus. Vale in Domino. 8 Ianuarii anno 1535.

V. Capito.

Bucerus bonam partem valetudinis inordinato labore perdidit. Ad temperandum a lucubrationibus ipsum hortamur. Nostra te familia salutatur.